DE
OLEO IECORIS ASELLI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET D. X. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLI

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS STENS

RHENANO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

IOS. SCHAEFFER, MED. ET CHIR. CAND.
CHR. FOCKE, MED. ET CHIR. CAND.
FR. FUHRMEISTER, MED. ET CHIR. DR.

BONNAE

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

MDCCCXLI.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

CHR. H. ERNST BISCHOFF

MED. ET CHIR. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI INSTITUTI PHARMACEUTICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PIO GRATOQUE ANIMO

A U C T O R.

Quae de oleo iecoris aselli colligere poteram, scripsi semper memor huius sententiae:

Grau, Freund, ist alle Theorie,
Doch grün des Lebens goldner Baum.

DE OLEO IECORIS ASELLI.

Historia.

Inter omnia remedia, quae recentiore tempore ad morbos curandos adhibita sint, praecipue oleum iecoris aselli respiciendum esse, quis est, qui hocce neget? Nam eius ad sanitatem reducendam efficacem vim tam multi experti sunt, ut certo operae sit pretium tempus et vires ad omnia, quae hucusque de hoc remedio memoria digna dicta et scripta sint, colligenda impendere.

Constat autem iam antiquiore tempore in Anglia, apud Batavos, in Guestphalia et in regione ad Rhenum sita illud cum successu esse adhibitum.[1])

Inter alios auctores *Günther,* consiliarius intimus Coloniae Agrippinae, se puerum anno millesimo septuagesimo octavo Hardenbergii prope Elberfeldiam oleum iecoris aselli efficax remedium cognovisse affirmat. Etiam *Katzenberger,* medicus Warendorfiensis prope Monasterium, hocce oleum iam ex longo tempore remedium celeberrimum contra arthritidem apud vulgum fuisse et ipsius patrem, nonaginta octo annos natum, qui in Guestphalia iam prima iuventute medicina exercenda occupatus esset, hoc oleum iam tum bona nota fuisse enarrasse memoriae prodidit.[2])

Etiam *Michaëlis* oleum iecoris aselli in nosocomio Mancastris contra morbos rheumaticos vehementissimos feliciter in usum vocatum esse refert.

Qua ex causa et adhibitis aliis praecipue pharmacologicis scriptis oleum iecoris aselli semper in quibusdam regionibus contra morbos se efficax praebuisse satis elucet, quamquam eodem tempore aliis locis et plurimis medicis prorsus ignotum

---

1) *Hufeland's* Journ. 1824. Aug. p. 111.
2) *Hufeland's* Journ. 1824. Novemb. p. 178.

fuisse videtur. Recentiore autem tempore in Anglia praesertim *Percival* et in Germania *Schenk* usum olei iecoris aselli recommendarunt, quos multi alii in medica arte viri egregii sunt secuti[1]). Quo factum est, ut hocce oleum nunc a plurimis medicis remedium potentissimum aestimetur.

De origine et methodo, qua paretur.

Oleum iecoris aselli ex Gadi pluribus speciebus, quae ad Malacopterygios pertinent, paratur; sed ex qua specie praecipue, ex quibus partibus et quomodo hucusque non satis liquet. Nonnulli G. Morhuam (Kabeliau), alii G. Callariam (Dorsch), alii G. Carbonarium (Köhler, Kohlfisch), alii G. Lotam (Quappe, Aalratte, Aalquappe, Trusche) fontem olei significant.

Sine ullo dubio est ex omnibus his speciebus oleum parari, quo fit, ut tam varia huius olei genera non solum colore, odore et gustu, sed etiam compositione chemica valde inter se discrepantia occurrant. Pharmacopoea Borussica Gadum Morrhuam L., piscem in mari septentrionali frequentissimum, eum designat, ex quo hoc oleum paretur; quod etiam *Dulk* confirmat. Secundum *Bocrim* oleum iecoris aselli lucidum est adeps hepatis Gadi Callariae atque eius residuum oleum crudum (fuscum). *Spaarmann* et *Berzelius*[2]) Gadi Carbonarii hepar olei fontem esse referunt. *Marder* pro certo affirmat id ex pluribus speciebus Gadi parari[3]). Quod ad partes attinet, ex quibus oleum paratur, etiam varia est sententia. Quamquam enim plurimi oleum ex hepatibus parari consentiunt, tamen mercator *Iobs* Stuttgardiensis lucidum ex hepate, fuscum olei genus autem ex adipe viscera circumdante parari contendit.

De methodo oleum parandi *Richter*[4]) hocce refert. Iecoribus piscium in magnis amphoris solis radiis expositis, is

---

1) Conf. *Percival* in London medic. Journ. vol. III. pag. 392. — *Schenk* in *Hufeland's* u. *Osann's* Journ. d. prakt. Heilk. Bd. LV. St. 6. S. 31. Bd. LXII. St. 5. S. 3.

2) Lehrbuch der Thierchemie, aus dem Schwedischen übersetzt von *Wöhler*. Dresd. 1839.

3) In *Brandis Archiv.* XXXII. S. 90—109.

4) Dr. *H. G. Richter*, Vereinszeitung 1838. Nro. 33.

liquor, cui nomen oleum iecoris aselli *lucidum* est, solis calore elicitur. Si hoc modo non plus huius olei provocari licet, iecorum reliquum calori 40° R. expositum alterum liquorem, qui oleum iecoris aselli *crudum* nominatur, nobis praebet. Residuum in partes sectum in vasis ferreis igni admovetur, et ita omnes partes oleaceae excoquuntur, qua methodo oleum procreatur, cui nomen ***Gerberthran*** est. Ex hoc tertio olei genere chemica via quartum genus paratur, quod plerumque a pharmacopolis nomine olei iecoris aselli ***depurati*** porrigitur. Haec sunt quatuor genera, de quibus plerumque est sermo. *Spitta* tantum tria priora genera enumerat; *Marder* de quinque generibus loquitur; ***Herberger***[1]) vel quindecim exploravit. Facere non possum, quin alius methodi parandi mentionem faciam, quam ***Donavant*** recommendat. Quo auctore iubente oleum iecoris aselli ad usum medicinalem sumendum semper ex tantum sanis, prorsus compactis, non pultis instar mollibus aut fusciore colore affectis gadorum hepatibus, omni putrescentia prohibita, calore 192° F. parandum est. Hepatibus in vase ferreo sub leni calore liquefactis, puls ex oleo et aqua constans sacco linteo collatur, viginti quatuor horis praeterlapsis oleum ab aqua removetur et charta collatur; qua methodo ***Donavant*** ex viginti octo libris sive quinquaginta hepatibus circiter gallonam unam nactus est (aquae sive vini = **X℔, IX℥** $^{1}/_{111}$, olei olivarum circiter = **X℔**)[2]).

De olei iecoris aselli qualitatibus physicis et chemicis.

Genus primum, cui nomen lucido est, nitet clare et colore ex albo, flavescente vini Rhenani veteris simillimo est, odorem non ingratum, mitem, piscium adipis haleciumque muriae comparandum praebet. Sapor est lenis et oleosus, piscium sapori non dissimilis. Genus alterum, sapore acerbo praeditum, pisces olet, sed non ingrate, coloris est ex rubro fusci, sed clarum. Tertium genus, igne paratum, spissius, turbidius,

---

1) Schweiz. Zeitschr. N. F. Bd. I. Heft 2. 1839.
2) Consiliarius intimus Dr. ***Chr. H. E. Bischoff*** id mecum communicavit.

empyreumaticum odorem et saporem praebet, inter standum sedimentum formans. Quartum genus, de quo *Richter* refert, a pharmacopolis via chemica ex genere tertio paratum, valde candidum atque clarum est, vix pisces olet, olei olivarum colore paene gaudet, et a mercatoribus nomine stricte depurati adipis venditur. Oleum a *Donavant* paratum per liquidum, coloris subflavi, odoris lenis G. Morrhuae excellentis, saporis mitis, nullo modo ingrati, ab omni ranciditate est liberum, tempestate frigida multum stearini format, quod autem non est removendum.

Wurzer et *Spaarmann* primi erant, qui huius olei disquisitionem chemicam instituerunt. Oleum a *Spaarmann* adhibitum rubescens, odore admodum pisculento gaudebat, sapore erat acerbo et acuto, linguae per aliquantum temporis piscium putrescentium saporem relinquens. In alcohole absoluto fervido solutum rursusque refrigeratum haecce elementa ostendit:

Stearines 19
Elaïnes 75,5 et
4,5 materiae cuiusdam tingentis colore aurantiaco, et principii aromatici; quae ex aquae solutioni spirituosa addita erant recepta.[1])

Postea multi alii etiam disquisitionem chemicam susceperunt, praecipue *Marder,* cuius analysis haecce est:

Ducenta grana lucidi	
Cerae mollis, viridis	0,104 gr.
Cerae durae fuscae	0,026
Glutinis animalis	0,312
Acidi oleosi	111,833
Acidi Margar.	20,625
Glycerini	16,832
Materiae colore tingentis	11,50
Calcar. muriat.	0,1046
Natr. muriat.	0,0361
Kali sulphur.	0,1179

1) *G. A. Behn,* dissert. inauguralis. Berolin. p. 11.

fusci

Cerae mollis fuscae	0,130 gr.
Cerae durae nigrae	0,156
Glutinis animalis	0,936
Acid. oleos.	95
Acid. Margar.	8
Glycerini	18
Materia colore tingentis	25
Calcar. muriat.	0,2092
Natr. muriat.	0,0614
Kali sulphur.	0,1883

Qua ex analysi elucet, *Marder* iodum et bromum non invenisse, quamquam quinque species exploravit. Primus *Kopp* et *Hofer de l'Orme* in olei genere ex rubro flavo-fusco distinctissime iodum ostenderunt; cuius quantitatem indicare non potuerunt, et quod cum oleo animali coniunctum esse putaverunt. [1]) Quae res etiam probata est ab *Haeser*, *Hausmann*, *Martens*, *Springmann*, *Brandes* et *Bley*. [2]) Novissimo tempore *Herberger* quindecim species olei iecoris aselli, quatuor species adipis communis et duas species liquoris hepatici Mustelae fluviatilis investigavit; quibus ex explorationibus apparet in mercatura adipes communes et species olei iecoris aselli occurrere, quae

a) nec iodum, nec bromum,

b) tantum iodum,

c) iodum et bromum contineant.

Praeterea verisimile est:

a) liquorem Mustelae fluviatilis hepaticum nec iodum, nec bromum continere;

b) tum in olei iecoris aselli genere ex fusco lucido iodi et bromi plus quam in ceteris generibus inveniri;

c) denique speciem empyreumaticam minus iodi et bromi, quam priorem speciem continere.

---

1) Annalen d. Pharmac. 1837. Bd. 22. S. 170.
2) Conf. Summarium 1837. Bd. 6. H. 2. — Archiv d. Pharmac. 1838. Bd. 24. — Schweiz. Zeitschr. N. F. Bd. 1. Heft 2. 1839.

Silentio non est omittendum in omni hac analysi iodi et bromi quantitatem accurate non esse indicatam, et etiam hucusque res est dubia, qua in coniunctione iodum et bromum in hoc oleo occurrat; tum etiam quaestionem instituere licet, num haec elementa sint educta aut producta disquisitionis chemicae. Facere non possum, quin commemorem oleum iecoris aselli secundum Dr. *Ludw. Fränkel* creosotum continere.[1]) Etiam memoratu digna sunt verba *Buchneri iun.*, qui verum oleum iecoris aselli semper iodum continere, sed non spurium, nisi cum vero coniunctum, contendit.[2])

Primum genus ponderis specifici est 0,923, alterum 0,928, genus a *Donavant* paratum 0,934; adeps communis 0,907 — 0,917.

1) Frigore 13° R. ex primo genere adeps formatur solidus, qui secundum *Marderum* acidi oleosi 3,333, acid. Margar. 0,625 Glycerini 0,832 continet.

2) Fuscum oleum caloris gradu, quo adeps communis fluidus permanet, ad materiam butyro similem rigescit.

3) Calore + 100° R. oleum album inter nebulam crassam et albam formandam decomponitur; fuscum calore + 130° R. non mutatur.

4) Charta exploratoria albo parum, fusco valde rubefit.

5) Genus album et fuscum et adeps communis in aethere atque spiritus vini rectificati quantitante sufficiente solvuntur, sed fuscum maiorem spiritus vini copiam et altiorem caloris gradum poscit. Destillatione partes rursus non mutatae inveniuntur. Aqua destillata cum hisce duobus olei generibus agitata, tum defusa saporis erat nauseosi, odoris oleo ipsi similis, atque chartam exploratoriam acidi instar mutabat, quae quidem res in genere fusco in gradu maiori occurrebat. Quam aquam si evaporas, extractum invenis, quod paene pellucidum, flavum, consistentiae tenacis et saporis nauseoso-amari est, halecem olens, aëri expositum sordidum fit et in aqua et

---

1) Prakt. Heilmittell. f. d. Krankh. d. kindl. Alters von Dr. *Ludw. Fränkel.* S. 220.
2) *Buchner's* Repert. Bd. XXI. H. 3. 1840.

spiritu vini rectificato facile solvitur. Addendum est solutionem adhibitam chartam exploratoriam etiam rubefacere. Caetera huius olei genera minorem huius extracti vim praebent.

6) Solutio aqua, aethere aut spiritu vini rectificato adhibito, ammonio, acido sulphurico diluto, baryta muriatica atque hydrargyro muriatico corrosivo non mutatur. Plumbo acetico secundum *Wurzerum* praecipitatum album, et argento sulphurico nubecula coloris rubri est formatum. Tinctura gallorum Turcicorum sordida facta ad vitri parietes ut fusco-lutosa materies ponderis parvi est praecipitata, quod praecipitatum in spiritu vini rectificato non in aqua solvebatur.

7) Plumbum aceticum in maiore quantitate cum oleo albo vel fusco coniunctum materiem fluidam linimenti instar praebet; liquor ammonii caustic. cum oleo albo saponem, cum fusco materiem homogeniam in aqua difficilem solutu praebuit. Acido muriatico addito ex duabus coniunctionibus oleum immutatum elicitur.

8) Acidum nitricum ponderis specifici 1,192 cum eadem olei albi quantitate mixtum non caluit, odorem autem aetheri similem praebuit: aliquot diebus praeterlapsis materies in duas partes divisa est, quarum superior (oleum) fusca, inferior rubra erat. Oleum fuscum eidem experimento subiectum fuscius erat factum, odoris erat coriacii et acidum nitricum colore tinctum olei odore imbutum erat.

9) Acidum sulphuricum ponderis specifici 1,850 cum duabus olei partibus mixtum caluit, primum sanguinis colorem praebuit, post aliquot dies nigrum factum paene totum est inspissatum et odoris acidi subsulphurici erat.

10) Aqua chlorata oleum non mutavit, sed ipsa post separationem tantum acidum muriaticum continebat.

11) Cum lixivio kalino decoctum saponem praebuit, quo per acidum oenothionicum soluto, acidum stearicum apparens una cum acido oleoso in filtro cum aqua calida destillata eluebatur. Liquor in absoluto alcohole fervido solutus est, quo refrigerato acidum stearicum separatum est.

Destillato acido aqua barytae usque ad saturationem ad-

dita est; liquori evaporato acidum phosphoricum admixtum est. Tunc acidum phocaenicum, quod oleum ex fusco flavum effecit, odorem specificum penetrantem muriaeque harengorum similem et saporem aromaticum praebuit, in superficie apparens. Materia aliena tingente et principio aromatico inquinatum est, a quibus haud facile separatur.

Centum partes olei saponificati effecerunt

acidi stearici 17
acidi oleosi 74,5
acidi phocaenici 5,5
et principii aromatici, nec non materiae luteo colore tingentis 3.[1])

De olei iecoris aselli symptomatis.

Primum paene omnis homo oleo iecoris aselli sumto nausea et nauseoso sapore, qui non semper eiusdem indolis est, et plerumque oleo per aliquot dies adhibito evanescit, afficitur. Sunt autem, qui nullo modo hoc remedio uti possint; nam aut prorsus id sumere, aut retinere non possunt.

Quod ad ventriculum pertinet, de huius olei effectu in hoc organon, variae sunt sententiae. Alii contendunt oleum ita in ventriculum agere, ut aegris appetitus aut imminuatur, aut omnino auferatur; alii experientia freti rem prorsus contrariam probant. Etiam inveniuntur, qui primo tempore ventriculum oleo non affici, sed eo per longum temporis spatium sumto hunc paulatim in peiorem conditionem transire pro certo affirment.[2]) Constat etiam apud nonnullos aegros oleum iecoris aselli sumtum semper vomitum esse secutum, ita ut ab eius usu omnino esset abstinendum.

Eadem sententiarum varietas in olei effectu ad alvum demonstrando occurrit, quae secundum alios constipatur, quam autem alii ex oleo solvi contendunt. Immo sunt, qui oleum

1) *Behn* Dissertat. inaugur. p. 11 et 12.
2) Conf. *Brefeld, Behn, Schmidt.* - *Rust's* Magazin XXXV. Bd., 1 H. pag. 38. — *Percival, Kopp* etc.

nullo modo alvum afficere sibi persuasum habeant. Si urinam respicis, primo tempore post oleum sumtum maiore copia fluit, odorem peculiarem, sed multum ab oleo ipso discrepantem praebet, aliquot post dies ad normalem copiam redit. Apud nonnullos oleo per longum temporis spatium sumto vesica urinaria inflammatione affecta est, ita ut stranguria adesset, quae res propria experientia a me bis est probata. Cutis maiore calore utens ad sudorem multo propensior fit, cui sudori odor inest peculiaris, quem accuratius indicari mihi non licet. Secretio tunicae mucosae pulmonum in nonnullis aegris auctior est observata, ructus et flatus aliquid oleum olentes saepe oleum sumtum sequi solent. Systema glandularum praecipue olei viribus est subiectum, ut ex scrofulosi laborantium cura satis elucet. Sed omnes hi effectus lento pede et gradu parvo occurrunt, quo fit, ut saepe non animadvertantur. Evenit etiam, ut unus effectus caeteris non apparentibus praecipue in oculos cadat. Accedit, quod in plurimis nutritio adiuvatur, quae res et hoc argumento munitur, quod gentes septentrionales hoc oleo vescuntur, et disquisitione chemica, quae adipem nobis praebet. Effectus peculiaris, cui nomen criseos est, hucusque non est probatus, nonnullis casibus exceptis, ubi eruptio scabiei similis totum corpus occupabat. Silentio non est praetereundum nec in urina, nec in sudore, nec in faecibus ullum olei partium vestigium praecipue iodi aut bromi esse inventum. Pulsus non celerior fit, nec ullo alio modo afficitur. Consiliarius intimus *Wutzer* mecum communicavit in puero oleo tres menses bono cum eventu sumto scorbuti symptomata apparuisse, quae quidem usu olei remoto paulatim evanuissent, id quod in oleo adhibendo nos cautiores reddere debet. Ex propria experientia nobis tres sunt casus, in quibus oleo iecoris aselli per aliquod tempus sumto haemoptysis est exorta. Quamquam bene scimus post hoc, non propter hoc, tamen in porrigendo oleo cautiores facti sumus. Dr. *J. P. Hoebeke* ex oleo sumto pelvis osteomalaciam se observasse putavit, quae quidem opinio aliorum sententia non est probata, et eo praesertim refutatur, quod hanc osteomalaciam

iam ante oleum sumtum adfuisse viri maxima fide digni contendunt.[1])

Quum scrofulosis symptomata varia et interdum vel contraria sint, atque hic morbus constitutionalis hocce oleo secundum multas observationes saepissime sit sanatus, apparet morbi causa remota, etiam eius symptomata evanescere et ita contingere debere, ut alvus mox constipetur, mox solvatur, morbi stadio, specie et complicatione se variante. Quod hic de alvo est dictum, ad urinae indolem et excretionem, ad mucum secernendum et ad sudorem provocandum applicari licet. Quibus omnibus effectibus, morbis oleo iecoris aselli sumto sanatis et disquisitione chemica respectis, facere non possum, quin illorum virorum sententiae consentiam, qui oleum iecoris aselli in primis viis ad meliorem sanguinem parandum praesertim tribuere, et hunc esse eius primarium, ceteros autem supra dictos effectus secundarios, sibi persuasum habeant.

De methodo olei iecoris aselli adhibenda.

Ut de ceteris rebus ad oleum iecoris aselli pertinentibus, sic etiam de hocce oleo adhibendo varii auctores variam proferunt sententiam. Sunt, qui huic oleo omnem vim peculiarem denegantes id oleo communi prorsus par aestiment, qua sententia freti ad morbos, qui ab aliis praecipue oleo iecoris aselli curantur, sanandos oleum olivarum, ut affirmant, bono cum eventu adhibent. In nostro clinico medico aegri hoc modo curati, sed non sanati sunt. Alii reperiuntur, qui cuique huius olei generi eandem vim ad morbos sanandos inesse contendant. Alii praeferunt genus primum, ut *Brefeld*, praecipue apud infantes, alii alterum, ut *Kopp*, quod genus etiam in nostro clinico medico et chirurgico semper est adhibitum.

Wesener[2]) destillationem olei flagitat, quod autem iam dudum *Behn* vituperavit, verens, ne destillatione partes efficacissimae removeantur. Quamquam plurimi hoc oleum purum

---

1) Dr. *I. P. Hoebeke*, mémoires et observations pratiques de chirurgie et d'obstétricie. Bruxelles 1840. p. 35—43.

2) *Hufeland's* u. *Osann's* Journal. Bd. I. St. VI. pag. 76.

dari recommendant, tamen in nonnullis casibus adiuvantibus aut corrigentibus mixtum utile se praebebat. Quod ad dosin pertinet, antiquiore tempore oleum iecoris aselli a vulgo magna copia a quatuor ad octo uncias pro dosi et deinde aliquid vini vel vini adusti sumtum esse constat. Qua a consuetudine non multum discedentes *Rust* et nonnulli alii hoc oleum bono cum eventu in usum vocaverunt. Plurimi autem nunc minorem dosin dant, plerumque duo aut tria cochlearia per diem, cuius doseos infantibus tantum dimidia pars porrigitur. Ad nauseosum saporem et odorem removendum nares inter sumendum comprimi et post oleum sumtum aliquid vini vel vini adusti est propositum. Experientia propria autem nos docuit, optimum esse post oleum sumtum aliquid panis mandere et deinde exspuere, quo fit, ut olei particulae membranae mucosae adhaerentes cum pane coniungantur et ita facillime removeantur. Tempus ad oleum sumendum aptissimum est una hora ante vel post prandium, quinta vel sexta postmeridiana et nona vel decima vespertina. Si non est permissum oleum purum dari, *Brefeld* hanc formulam bono eventu probatam recommedat:

℞ Olei iec. aselli alb.
Vini hungaric. s. Malacensis ana ℥iV.
Gummi arabic. ℥I
f. l. a. emuls. add.
Syrup. cort. aur. ℥I
Elaeosacch. menth. piper. ʒII
MDS. 2 bis 3 mal täglich 2 Esslöffel voll zu nehmen, vorab aber wohl umzuschütteln.

Dr. *Fehr* pro infantibus hanc formulam recommendat:

℞ Olei iec. aselli ℥I
— tart. perdiliq. ʒII
— calam. aromat. gtt. III
— Syrup. cort. aur. ℥I
MDS. Morgens u. Abends 1 — 2 Theelöffel voll zu nehmen etc.[1])

---

1) S. *Hecker's* Annal. 1829. Juli-Heft.

Eodem consilio utens, *Tourtual* hanc formulam composuit.

℞ Olei iec. asell. ℥II
Vitell. ov.
Syr. Menth.
— flor. aurant. aa ℥II.
MS. 3mal täglich einen Kinderlöffel voll etc.[1])

Si oleum iecoris aselli externe adhibere vis, quem usum multi celeberrimi viri laudant[2]), loca eruptione aut tumore aut ulcere affecta oleo iecoris aselli puro vel frigido, vel calido ungi, aut id respecta rerum conditione cum pane ad cataplasma formari et ita applicari iubeas. *Carron de Villard* penicillo locum corneae obscuratum illinit; *Brefeld*, *Kopp*, *Wüste* in inflammatione palpebrarum scrofulosa atque psorica palpebrarum margines palpebris ipsis clausis oleo illini recommendant. Pro ulceribus, fistulis etc. ambitus non magni Brefeld hocce unguentum successu saepissime probatum omni laude dignum proponit:

℞ Olei iec. asell. ℥β
Acet. Saturnin. ℥II
Vitell. ovor. s. adip. suil. insulsi ℥III
MDS. Aeusserlich.

Charpia hocce unguento illita consueto modo est applicanda. *Katzenberger* hocce oleo in clysmate ter vel quater maiori dosi feliciter utebatur. [3])

De morbis, ad quos sanandos oleum iecoris aselli bono cum eventu est adhibitum.

Iam antiquissimis temporibus olea bono cum eventu contra multos morbos esse adhibita et nunc etiam adhiberi, quis est qui non sciat? Quum autem oleum iecoris aselli huic remediorum generi adscribere debeamus, sequitur, ut huic oleo etiam vim ad sanitatem restituendam non deesse merito coniicere

1) Praktische Beiträge zur Therapie der Kinderkrankheiten. Münster 1837.
2) Conf. *Hauff, Guerand, Brefeld.*
3) *Hufeland's* Journ. etc. Bd. 59. S. 118.

possimus. Quae quidem coniectura certior fit, si chemicam huius olei analysin contemplamur, quam vero analysim respicientes et hocce oleum plurima caetera olea efficacibus viribus superare et tantum in illis morbis, ubi torpor adsit, adhibendum esse pro certo habere coacti sumus. Id quod etiam experientia probatur. Morbi enim, ad quos removendos aut mitigandos oleum iecoris aselli plurimum valebat, chronici erant, acuti autem semper hocce oleo sumto adaugebantur, ita ut theoria, si illam formare licet, et experientia in hisce casibus plane consonent. Si autem morbos oleo iecoris aselli feliciter curatos dividere tibi in animo est, optime in tria genera divides, quorum unum omnes morbos continet, qui ex rheumatismo originem ducunt et rheumatismum ipsum, alterum arthritidem tractat, tertium autem de iis morbis verba facit, qui ex scrofulosi sunt exorti.

I. Rheumatismus, i. e. rheumatismus complicatus sive cum exsudatione, sive cum tuberculis, sive organi ipsius torpore aliisve rebus. Ex illis supra iam dictis elucet de hocce rheumatismo tantum sermonem esse posse. Quid autem contra hunc morbum et affectiones, quae ex illo originem ducunt, oleum iecoris aselli valeat, nos cum illustrissimi et fide maxima digni viri, tum experientia quotidiana docent. Ex tanto eorum numero, qui hocce oleum recommendant tantum duorum sententias hic afferre liceat. *Brefeld* dicit[1]): „Observationum numero magno fretus mihi licere puto sententiam pronuntiare, oleum iecoris aselli omnem rheumatismum eo certius curare, quo magis in idoneis per annos durante vi noxiarum rerum praeparatis, diathesi scrofulosa praeditis individuis occurrat, aut quo magis refrigerii sequela, diathesi deficiente, sit inveterata.“

Schenk contendit[2]), oleum iecoris aselli omnia corporis humani mala chronica et dolorosa, quoque loco sive extus, sive intus, dummodo ex diathesi rheumatica aut arthritica

---

1) Der Stockfisch-Leberthran von Dr. *Franz Brefeld*. S. 57.
2) Rhein.-Westphäl. Jahrbüch. Bd. X. St. I. S. 79.

originem trahant, aeque certo curare, ac chinam febrem intermittentem.

Quas ad sententias probandas hi viri multos casus enarrant, quorum seriem adaugent *Schütte*[1]), *Günther*[2]), *Harless*[3]), *Sattinger*[4]), *Knood von Helmentsreit*[5]), *Rust* id adhibens contra ischiadem, quae per septem menses omnibus ceteris remediis repugnaverat, *Osberghaus*[6]), *Basse*[7]), *Kopp*, *Reder*, *Schupmann*[8]), *Malacarne*, *Morina*, *Percival*[9]) et multi alii. Quibus ex observationibus elucet, oleum iecoris aselli ibi auxilium tulisse et curasse, ubi omnia caetera remedia et ipsa moxa et ferrum candens sine successu erant adhibita. Omnes autem hortantur, ne oleum iecoris aselli in rheumatismo acuto cum febre detur, quia periculum maximum inde sit timendum. Quorum prosperae experientiae virorum observationes, quae Berolini in Nosocomio, cui nomen Caritati est, factae sunt, ubi hocce oleum in rheumatismo chronico sine ullo successu sumebatur, non consonant.[10]) Casus eiusdem indolis *Rieken* enarrat.

II. Arthritis atonica i. e. complicata. Quamquam *Brefeld*[11]) oleum iecoris aselli contra arthritidem nihil pollere dicit, immo vel contendit ex oleo iecoris aselli sine successu sumto non rheumatismum, sed arthritidem adesse concludi licere, tamen facere non possumus, quin tot observationibus illustrium virorum, quibus res contraria probetur, confidamus. Constat quidem in nonnullis casibus rheumatismum ab arthritide distinguere esse difficillimum; nihilominus hos iam nominandos viros hosce morbos omnino cognovisse pro certo habere coacti sumus. qui autem viri hi sunt: *Schenk*,

1) *Horn's* etc. Arch. f. med. Erf. Jahrg. 1824. Juli—August.
2) *Hufeland's* Journ. etc. Bd. 59. 2. S. 111.
3) *Hufel.* J. d. pr. Heilk. St. 9.
4) Ebendaselbst Bd. 64. St. 5.
5) *Rust's* Mag. etc. XX. Bd. 3 St.
6) Ebend.
7) Sanitäts-Bericht d. Königl. Med. Kolleg. zu Münster. 1830. p. 108.
8) Dr. *Ch. H. E. Bischoff* Bd. II. Neuere Nachträge. S. 165. u. 166.
9) Ebend. Bd. IV. S. 342.
10) *Rust's* Mag. etc. Bd. XVIII. H. 2.
11) S. 58. u. 59.

Günther[1]), *Wesener*[2]), *Spiritus*[3]), *Mönnig*[4]), *Schütte*[5]), *Osberghaus*[6]), *Beckhaus*[7]), *Hacker*[8]), *Kopp*[9]), *Lohmeier*[10]) et alii.

III. Scrofulosis. *Brefeld*[11]) nullum esse remedium, quod oleum iecoris aselli in hocce morbo curando superet, affirmat. Quae sententia multis huius viri aliorumque observationibus probatur; addit autem hic auctor, hoc oleum contra systematis lymphatici affectiones, quae aliunde originem ac ex scrofulosi ducant, nihil valere. Etiam sibi persuasum habet oleum iecoris aselli interne sumtum, externo usu non adhibito, contra cutis affectiones ex diathesi scrofulosa nihil agere. Cui autem rei *Richter* prorsus repugnat. *Segnitz*[12]) oleum iecoris aselli ad eam scrofulosim sanandam praecipue esse aptum, quae in glandulis mesentericis atque bronchialibus grassetur et contra ossium affectiones scrofulosas tantum secundario agere dicit; quamquam *Brefeld* oleum hoc in casu efficacissimum se praebere affirmat. Silentio non est praetereundum tantum scrofulosim torpidam hoc loco spectari. Quae quum autem Proteo similis faciem tam diversam praebeat, praecipuas affectiones ex hoc fonte exortas et oleo iecoris aselli adhibito sanatas enumerare mihi liceat.

1) Rachitis. Permultae observationes enumerantur a *Schütte*, *Kopp*, *Mäcker*, *Brefeld*, *Osberghaus*, *Roy*, *Fehr*, *Tourtual* et aliis[13]). In nonnullis casibus haec affectio ad tantum gradum pervenerat, ut aegroti nec stare, nec ambulare possent; oleo iecoris aselli per duos vel tres menses sumto aegri

1) *Hufeland's* Journal etc. Bd. 59. St. 2. Tom. 111.
2) *Huf.* Journ. etc. Bd. 58. St. 5. S. 74.
3) *Rust's* Mag. f. die ges. Heilkunde. Bd. 16. Heft 3. pag. 566.
4) Ibidem p. 567.
5) *Horn's* etc. Arch. f. med. Erf. Jahrg. 1824. Juli-Ausgabe.
6) *Rust's* Mag. etc. Bd. XX Heft 3.
7) Ibidem Bd. XX Heft 1.
8) Mediz. Beit. vom Verfasser f. Heilk. in Preussen 1834. Nro. 30.
9) Dr. *Ch. H. E. Bischoff.* Bd. II. Neuere Nachträge. S. 156.
10) Ibidem Bd. IV S. 343.
11) S. 81.
12) Dr. *Ch. H. E. Bischoff* mecum communicavit.
13) Conf. Dr. *Ch. H. E. Bischoff* et *Brefeld* et *Behn.*

omnino restituti postea nunquam in hunc morbum rursus inciderunt.

2) Tumores, partium mollium ulcera, caries, ut probant *Fehr*, *Busch*, *Brefeld*, *Kopp*, *Gumpert*.[1])

3) Arthrocacae.

a) Paedarthrocace secundum *Brefeld*.

b) Coxarthrocace, pro qua afferunt observationes *Mäcker*, *Sattinger*, *Ludders*, *Rust*, *Heineken*, *Behn*, *Schmidt*, *Brefeld*.

c) Gonarthrocace secundum *Brefeld*.

d) Spondylarthrocace secundum *Brefeld*.[2])

4) Spina ventosa secundum *Gumpert*.

5) Atrophia scrofulosa, multae observationes exstant virorum *Brefeld*, *Ruef*, *Rüsch*, *Günther* aliorumque.

6) Phtisis pulmonalis ex diathesi scrofulosa, pro qua certant *Ruef*, *Hoffmann*, *Häser* [3]), *Henkel*, qui XXXIV casus felices enarrat, *Brefeld*, *Richter*.[4]) Sed tubercula primo stadio gaudeant secundum hos auctores necesse est. *Alexander*[5]) se etiam tubercula alterius stadii hocce oleo sanasse affirmat; cui rei alterum casum ex propria experientia addere possumus.

7) Tinea capitis, contra quam *Guerand* oleum iecoris aselli externe adhibuit et interne decoctum lignorum. Tinea, cui nomen est favosae, eodem remedio adhibito externe et interne est sanata. De ea tinea favosa, quae ex plethora sola originem ducit, hoc loco sermo esse non potest.

8) Ophthalmia scrofulosa chronica, in qua praecipue glandulae Meibomianae sunt affectae, contra quam oleum interne sumitur, atque externe supra palpebras linitur secundum *Brefeld*, *Kopp*, *Ammon*, *Wüste*.

Quae morborum tria genera sequantur alii morbi, ad quos sanandos oleum iecoris aselli etiam efficacissimum se praebebat.

---

1) Conf. iidem auctores.
2) Conf. iidem auctores.
3) *Hufeland's* Journal 1838. St. I.
4) Vereinszeitung Nro. 26. 1835.
5) *Schmidt's* Jahrbücher 1838. Juni.

Richter[1]) hoc oleum contra pertinacissimas cutis affectiones, herpetem, scabiem inveteratam cum diathesi ad furunculos procreandos in usum vocabat, ita ut per diem VI usque X cochlearia magna per VI usque ad XII hebdomades, cibis acidis ceterisque irritantibus evitatis, sumerentur.

Herpes eodem remedio sanatus est a *Hauff*[2]), sed huius herpetis indoles accurate non est explicata. *Carron de Villard* oleum contra corneae locum obscuratum externe adhibebat, id penicillo modo, supra iam dicto, bono cum eventu applicans. *Spitta* se enuresin oleo iecoris aselli sanasse refert, sed quid huic affectioni subfuerit, non indicat. *Katzenberger* hoc oleum in clysmate bono cum eventu contra ascarides adhibebat. *Kopp* choream, ut videbatur, ex arthritide exortam, hoc remedio sanavit. *Rieken* ad dispositionem hereditariam haemorrhagiae sanandam oleum iecoris aselli magna cum laude recommendat, *Dieffenbach* ad intestini ulcera, quorum indoles non accurate est significata, sananda, *Wolfsheim* ad taeniam latam depellendam una cum pulvere fil. mar. et natr. sulphur. adhibendis. Observationibus horum virorum nostrique clinici comparatis, elucet, quod etiam illustrissimorum virorum sententiae, e. g. *Segnitz*, consonat, oleum iecoris aselli in liberis efficacius agere quam in adultis, in morbis inveteratis plus prodesse quam in recens exortis, tantum contra morbos, quorum indoles torpida sit, esse adhibendum, plerumque per longum temporis spatium esse dandum, neque porrigendum esse in inflammatione, digestione nimis turbata, dispositione ad affectiones inflammatorias, ad haemorrhagias largas, menstruales et haemorrhoidales, ad haemoptysin, tempore mensium instante et alvo nimis laxata.

Hoc loco non alienum esse videtur ex multis nostri clinici observationibns nonnullos casus exhibere; quo facilius intelligi possit, nostras observationes ab illis supra iam dictis non abhorrere.

Bernhardus Buse, tredecim annos natus, e pago Hattingen prope Elberfeldiam. Avi, et paterni et materni, morbis

---

1) Vereinszeitung Jahrgang 1838 Nro. 33.
2) Würtemb. Correspondenzblatt 1837. Bd. 8.

acutis emortui, nunquam ullo exanthemate laborabant, nisi aegri nostri pater memoria fallitur, qui sanitatis speciem praebens, compluries scabie affectus, quae vero post sulphuris externum usum semper mox evanuit, furunculis nonnunquam vexatur; semelque febrem perpessus, hucusque foetido pedum sudore laborat. Uxor eius, statura gracili, iam antequam ei nupsit, gravibus molestiis ob res domesticas sollicita, nunc, si movetur, diu noctuque dolore trahente in toto corpore et spasmis pervalde vexari dicitur. Frater aegroti anno aetatis nono phthisi parentibus ereptus esse traditur. Aeger noster a prima die natali multum vagivit et parum dormivit, qua de causa pater nescit; vaccinae ei prima infantia insitae sunt. Primo aetatis anno nondum peracto, parentes latus internum palpebrae inferioris oculi dextri paululum inverti et aquosum fluidum in hoc oculo secerni animadvertebant; frigidis lotionibus utebantur, quibus malum cedebat.

Duos annos natum morbus incessit a patre Roetheln nominatus, quem brevi tempore superavit. Anno post morbo infectus est, qui a patre *Kraetze* dictus, valde pruriebat. Vesiculae aderant, quibus ruptis, fluidum lucidum effluebat; medico usi sunt parentes per tres menses, quibus praeterlapsis, ope pulveris cuiusdam atque unguenti bis per diem articulis fricti, puer omnino erat restitutus.

Aetatis anno quinto capitis morbus eum corripuit exanthematicus, qui vero, quomodo ortus sit, et quomodo creverit, non licet erui. Secundum patrem crustae erant colore cinereo, sub quibus si premebantur, materies flava, tenax effluebat, quae autem, si deciderant, cutem subrubram relinquebant. Capilli non invicem adhaerebant; morbus, quin medicina adhibita fuisset, evanuit, sed non ita multo post rediit. Ante septem annos pater media in dextra filii gena parvulum, uti dicit, ulcus vidit, quod albida crusta obtectum, materiem flavo colore secernebat. Brevi tempore alia existebant, initio in cute aderant noduli parvi, duriusculi, aliquid eminentes, colore ex livido rubro, non dolentes, qui interdum, quamvis multum mutarentur et crescerent, perstabant; interdum autem iam ab initio maiores complures

coniungebantur, qua re superficies paulum resistens et eminens, varia magnitudine, et colore ex rubro livido erant. Nonnunquam hi noduli crusta alba, sicca in acumine tegebantur, saepe vero in ulcera transibant, modo brevi, modo longo tempore. Medicus arcessitus emplastrum praescripsit nigricans, quod, picis navalis odorem prae se ferens, genae imponebatur.

Ad usum internum aeger tum temporis pulveres sumere debebat. Quae cura per duos fere annos sine successu adhibita est, contra, tum non solum noduli novi existebant, sed etiam pustulae (Blattern), quae locis ex rubro subnigris primum apparentes, et mox ruptae, crustis fuscis tegebantur, quibus solutis ulcus adspici licebat, quae saepius iterum crusta formabatur. Circa pustulas rubor erat pallidus, cutis aliquid extensa, sub pressu non dolens.

Aeger tum juscula pinguia et carnem suillam et aërem vitare debebat. Anno post nodulos ad collum animadvertit, qui rupti, eundem decursum sequebantur. Exinde malum semper crescebat, quo magis vero in latere dextro extendebatur, eo magis palpebra inferior oculi dextri extus invertebatur, ita ut ante annum cutis eius externa adspici omnino non liceret. Eodem modo superior in altum adscendebat. Ante annum iam maxima faciei pars crustis et squamis obtecta erat. Tribus annis abhinc noduli quoque et pustulae in scapula sinistra in tergo manus dextrae et in sinistro antibrachio apparebant, quae ulceratae et sanatae cicatrices reliquerunt glabras, nitentes, irregulares. Quo magis morbus extendebatur, eo magis aeger emacescebat, licet semper hilari animo et nulli aliis molestiis vexaretur. Varia remedia parentes adhibuerunt, maxime lotiones et unguenta ad usum externum, et pulveres ad internum, sed malum idem remanebat. Attamen pater id ex anno quoad ambitum minime crevisse contendit, quamquam noduli et pustulae novae apparuere, nam exstitisse has plurimum in locis ulceribus iam antea affectis, affirmat. Die vicesima prima mensis Maii aeger receptus est in clinicum medicum Bonnense.

Conditio praesens; die vicesima secunda Maii. Aeger circa quatuor et dimidium pedes altus, crinibus flavis, statura

gracili, debilis, emaceratus, musculis modice intentis. Facies a capillis usque ad mentum circa VI pollices tenet, frons duos et novem lineas, nasus unum et tres lineas, spatium ab naso ad mentum duos pollices, inter angulos internos oculorum unum et novem lineas, inter externum et angulum internum utriusque oculi vix unum pollicem. Aures, si cum faciei magnitudine comparantur, nimis magnae sunt. Omnes faciei partes minime inter se respondent. Supercilia non adsunt, sed loco eorum in latere dextro cilia animadvertuntur irregularia. Palpebra superior oculi dextri praeter parvam coniunctivae partem non conspicitur, palpebra inferior eiusdem oculi omnino extus inversa est. Coniunctiva degenerata conum format, cuius acumen ad angulum internum spectat, basi rotunda, fere octo lineas habente. Cilia in inferioribus palpebris nulla adsunt, palpebra inferior oculi sinistri in semicirculo extus inversa, eandem paene prae se fert formam, qualem dextra, sine ciliis. Utraque palpebra inferior sursum non attollitur, sed pendet et hiat. A medio fronte usque ad aures et laryngem facies circuli quasi formam habens, magis minusve crustis fuscis et squamis albis variae magnitudinis obtecta est. Cutis maxime ex livido rubra aut pallida cum pustulis et tuberculis, non dolens, glabra, nitens, in se contracta, tensa. Nasus latior, brevior, in acumine obtusior; nares angustiores et alae impressae, cutis pervalde tensa. Ulcera, quae adsunt, parum aut non dolent, marginibus inaequalibus, crustis obtecta, crassioribus aut tenuioribus, fusco, nigro et magis albo colore, adhaerentibus, e quibus, si detrahis, aliquid sanguinis effluit. Adsunt cicatrices regulares, irregulares, albidae, subrubidae, coeruleae, tensae, nitentes, marginibus roseis, illis fere similes, quae post combustionem remanent. Labium superius fere immobile, ac a dentibus removeri non licet; inferius crassius normali, extus inversum, non absque summa opera ad superius movetur. Os non magis aperi potest, quam ut digito indice intres, qua re si premis, ut os magis apariatur, dolorem excitas. Adest sudor pedum foedus. In regione cardiaca, si premis, aegrotus dolorem sentit tendentem, qui simulac digi-

tum detrahis aut evanescit, aut valde minuitur. Stethoscopo et percussione nihil abnorme in pectore inveniri potuit. Cornea oculi utriusque aliquid turbida, visus debilis, odor foedus, auditus et appetitus ciborum boni, idem somnus. Spiritum bene trahit et emittit; alvus quotidie solvitur; faeces, quae deponuntur, durae, non siccae; urinae color normalis. Animus hilaris, sperat aeger se ad integram sanitatem esse reversurum. In nullo dubio esse potuit, quin lupus adesset et huic affectioni diathesis scrofulosa subesset. Igitur diaeta aegroti ita instituta est, ut is matutino tempore lac, meridie iusculum carneum, legumina recentia et carnem recentem, hora quarta postmeridiana et vesperi iterum lac, panem album acciperet; praeterea tempestate adnuente balneum universale. Eodem tempore oleum iecoris aselli in usum vocatum est, cuius primum mane et vesperi cochlear porrigebatur, quo etiam loca ulcerata ubique illinebantur. Paulatim vel quinque cochlearia per diem sumebat. Hoc remedium aegrotus optime tulit, ita ut et corpus et animus maiorem virium gradum nanciscerentur. Quo remedio per sex hebdomades adhibito et diaeta iam dicta observata omnia in conditionem meliorem vertebantur; quo tempore nusquam ulcera nova exoriebantur, atque ulcera priora aut iam cicatrice obducta, aut sanationem proxima erant. Incaute ambulando sibi contraxit ophthalmiam rheumaticam, quae attamen emplastro cantharidum ordinario ad nugam adhibito atque pediluvio et thea sudorem provocante mox removebatur.

Quamquam hanc ob rem cura olei iecoris aselli per octo dies continuari non licuit, tamen sanatio semper procedebat et mense Augusto, quo tempore aeger feriarum instantium causa dimittendus erat, adspectum visu non indignum praebuit.

Facies et humeri erant laeves, cutis valde tensa, gracilis, hic et illic colore roseo.

Semestre sequente in clinicum rursus receptus eadem cura fruitus, sic restitutus est, ut omnia ulcera evanescerent et corporis atque animi conditio iure paene bona nominanda esset. Erat enim substantiae defectus in palpebris inferioribus, qui nostra cura restitui non poterat, quam ob rem domum demissus est.

Viemar Bolz, triginta quinque annos natus, sartor, die duodecimo mens. August. 1839., febri gastrica biliosa laboravit, quae, quum maturius exiisset et refrigerium sibi contraxisset, usque ad diem vicesimum m. Septembr. eiusd. anni durabat. Ex illo tempore diarrhoea cum dolore vehementi in nervi ischiadici regione atque decursu eum accessit, ita ut ambulare non posset. Diagnosis erat ischias; cucurbitulis, emplastro cantharidum, unguento cinereo et moxis adhibitis est curatus. Ianuario a. 1840. aegrotus tussim vehementissimam querebatur. Exploratione pectoris instituta inventus est sonus fuscus in regione subclaviculari lateris sinistri, strepitus respiratorius nullus, ronchus mucosus. Datum est ammonium muriaticum depuratum. Tussis non est debellata. Sputa crebra, paulatim debilitas magna, sudores nocturni, febris praecipue vesperi, ronchus mucosus et bronchophonia, praecipue lateris sinistri. Exploratione instituta inventa est caverna in lobulo superiore pulmonis sinistri. Datum est oleum iecoris aselli fusci primum bis per diem cochlear, deinde quum aegrotus hoc remedium optime ferre posset et tussis febrisque diminuerentur, ter per diem cochlear atque quoque vespere pectoris infricationes oleo iecoris aselli. Qua cura usque ad Aprilem eiusdem anni continuata aegrotus ita restitutus est, ut negotio iterum fungi posset. Cum m. Maii eiusdem anni cum olei iecoris aselli usu cura lactea coniuncta esset, vir ad tantum sanitatis gradum pervenit, ut sanatus demitteretur.

Guil. Leininger, Coloniensis, viginti quatuor annos natus, aetatis anno quarto matrem et ante hos sex annos patrem amisit. De matre nihil enarrare potest, pater haemorrhoidibus et arthritide laborabat. Aegroto duae sunt sorores, quarum maior natu in matrimonium ducta duos peperit infantes, quorum alter rachitide laborat. Minori natu sani sunt infantes. Aeger ipse prima aetate rachitide afficiebatur et primum quarto aetatis anno ambulare potuit, vaccinas feliciter superavit. Annum undecimum agentem accessit febris nervosa, quae per tredecim hebdomades eum torquebat. Annum decimum quartum agens, cubitus brachii dextri valdetumebat, cuius causam

aeger indicare non potest. Aderant in hac regione rubor, dolor et immobilitas; hirudinibus et cataplasmatis ex herbis decoctis restitutus est, attamen nunquam hoc brachium ut sanum flectere potuit. Duodeviginti annos natus opificium tornatorium discebat atque usque ad autumnum anni 1839. valetudine gaudebat, quo tempore itinere facto dolorem pungentem in cubiti regione sentiebat, ad quem tumor magnus, rubor, calor et immobilitas cubiti accedebant; quae symptomata omni intentione augebantur. Aqua frigida adhibita est sine successu. Per sex menses nullum medicum consuluit; quum vero omnia in conditionem peiorem transirent, nosocomium Coloniense, ut reciperetur, adiit. Sine ulla mora circa cubitum duo emplastra vesicatoria applicata sunt et postea epidermide remota iterum emplastrum vesicatorium eidem regioni positum est; quo suppuratio larga exorta per tres hebdomades sine successu est continuata. Quam ob rem emplastrum ceratum in usum vocatum est. Interne eodem tempore aegroto pulveres dati erant, qui salivationem, gingivae inflammationem, ulcera et spiritum foetentem provocabant et interdum etiam pulverum loco laxantia. Tum per nonnullos menses balnea ex furfure parata ad cubitum adhibebantur et interdum laxans porrigebatur. Hoc tempore circiter unum pollicem supra condylum internum ulnae tumor apparuit, qui cultro apertus uncias octo tenuis et flavescentis ichoris emisit, qua re dolor non diminuebatur. Ideo cataplasmata continuabantur atque aeger sponte sua plantaginis folia quotidie ad cubitum ponebat. Decem hebdomadibus ita praeterlapsis sponte sua altera apertura prope condylum externum ulnae exorta est, quae ichorem et aliud fluidum auri colore, viscosum guttatim emittebat. Cura eadem. Tandem balnea localia ex lixivio adhibita sunt, quibus omnia symptomata augebantur et febris vehemens est provocata. Quae mala conditio ita processit, ut medici brachium amputare vellent. Quo consilio abhorrens, auxilium petens, nostrum clinicum chirurgicum adiit d. VII. m. Nov. a. 1839.

Conditio praesens de d. VII. Nov. Aegrot. est statura parva, regulari, emaceratus; cubitus brachii dextri est valde

tumefactus, durus, rubefactus atque tribus aperturis praeditus, ex quibus continuo ichor largus, tenuis et flavescens fluit, cuius odor est maxime foetens atque indolem specificam cariei significans. Exploratione instituta per unam aperturam prope olecranon os asperum tangi potuit; in interiore cubitus parte continuus dolor vehemens adest; inflammatio totum antibrachium atque manus radicem occupat. Percussione instituta sonus lateris sinistri fuscior erat, etiam respiratio puerilis audiebatur, sputa erant parca, sine dolore in eiiciendo, atque aeger spiritum ducere et emittere sine ulla molestia poterat; alvum quotidie deponit, faeces sunt normales etiam urina; appetitus ciborum bonus. Somnus non perturbatus et aegrotum reficiens, pulsus plenus, 74—80 ictuum; lingua pura, cutis normalis; conditio animae hilaris; aeger sperat fore, ut restituatur. Ex historia et conditione praesente elucet cariem cubiti articuli adesse. Ideo instituta est diaeta nutriens, multis ovis et carne adhibitis, interne dabatur olei iecoris aselli duo cochlearia, externe ad cubitum affectum cataplasma ex seminibus lini adhibebantur. Quatuordecim diebus praeterlapsis, quum symptomata inflammatoria magis magisque evanuissent, balneum locale ex una parte lixiviae et duabus partibus furfuris bis per diem adhibebantur et emplastrum saponatum circa cubitum est positum. Oleum iecoris aselli continuabatur, sed nunc tria cochlearia, dolor diminuebatur; conditio cubiti affecti multo melior est facta. Quum aeger oleum iecoris aselli bene ferret et quoque die sanitati se appropinquaret, quatuor cochlearia porrigebantur, sed eodem tempore balnea supra dicta non negligebantur. Qua cura continuata, tumor paene et rubor evanuere, cubitum moveri licuit et, duabus aperturis clausis tantum unum prope olecranon remanebat. Feriis instantibus demissus est, sed sequente semestri iterum receptus, eadem cura cum successu fruebatur. Quum praeterlapsis aliquot mensibus apertura paene clausa esset, domum remissus est, consilio addito, ut eandem curam usque ad sanationem integram persequeretur.

Vita.

Natus sum ego *Guilelmus Stens* Essendiensis calendis Augusti anno millesimo octingentesimo decimo. Patrem ante hos viginti octo annos morte abreptum lugeo, matrem adhuc vivam veneror. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus gymnasium Essendiense, quod Dr. *Paulssen* regebat, adii et per quattuor et dimidium annos frequentavi. Tum ophthalmia correpto mihi ab omni litterarum occupatione per aliquid temporis abstinendum fuit. Qui quum morbus aliquid cessisset, in urbe patria occupatus fui instruendo. Vere anni millesimi octingentesimi tricesimi septimi Monasterium me contuli ubi per annum dimidium lectionibus in instituto medico-chirurgico adfui. Praelectiones erant haecce: Physice apud cl. *Roling*, chemia apud cl. *Schmedding*, botanice apud cl. *Becks*, anatomia generalis et specialis apud Ill. *Fourtual juniorem*, repetente cl. *Riefentahl*. Quo tempore praeterlapso Bonnam petii et a consiliario intimo *Wutzer* chirurgiae studiosis adscriptus sum. Vere sequente testimonio maturitatis instructus a Rectore Magnifico *Welcker* in civium numerum receptus apud Ill. *Harless* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimum nomen professus sum. Per quattuor annos hasce praelectiones audivi:

I. PHILOSOPHICAS:

Logicen et encyclopaediam litterarum philosophicarum apud Ill. *Fichte*, psychologiam apud Ill. *van Calker*, physicen experimentalem apud Ill. *Plücker*, mineralogiam apud Ill. *Noeggerath*, chemiam experimentalem, phytochemiam et zoochemiam apud Ill. *Bischof*, zoologiam et zootomiam apud Ill. *Goldfuss*.

II. MEDICAS:

Anatomiam generalem et specialem apud Ill. *Mayer* et Ill. *Weber*, qui quoque in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere; repetitorium anatomiae apud Ill. *Weber*, physiologiam apud Ill. *Mayer* et Ill. *Nasse*, methodologiam et rerum medicorum encyclopaediam, pathologiam generalem et specialem, semioticen et doctrinam de fontibus soteriis apud Ill. *Naumannn*, therapiam specialem, anthropologiam et disputationes de clinici medici casibus apud Ill. *Nasse*, chirurgiam generalem et specialem, anatomiam chirurgicam, doctrinam de oculi humani morbis, de operationum chirurgicarum praeceptis, de fasciis rite applicandis, de selectis chirurgiae capitibus apud Ill. *Wutzer;* artem obstetriciam, doctrinam de infantum morbis de instrumentis obstetricis apud Ill. *Kilian;* materiam medicam et therapiam generalem apud Ill. *Harless;* pharmacologicas demonstrationes, medicinam forensem et doctrinam de epizootiis apud Ill. *Bischoff;* medicinam forensem et pathologiam et therapiam morborum syphiliticorum apud Ill. *Albers.*

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in clinico propaedeutico et therapeutico medico Ill. *Nasse;* in operationibus in cadaveribus instituendis, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. *Wutzer;* in exercitationibus obstetriciis ad phantoma et in clinico obstetricio Ill. *Kilian.*

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Theses.

1. *Tantum symptomata dignoscere licet.*
2. *Omnis therapia tantum symptomata spectare potest.*
3. *Ulcera syphilitica non sunt distinguenda.*
4. *Cuiusque remedii vis chemicae compositioni respondere debet.*
5. *Symphysiotomia non est reiicienda.*
6. *Nulla mors in universo.*